



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XXXVIII. Alteri euasione occurritur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

illa gratia adiuuans non est distincta ab excitante, ut multi volunt, & ideo æq; potest illi resisti, vel est aliquis habitus, vel aliquid oblatum per modum habitus, & sic minus potest necessitare, vel prædeterminare omnino voluntatem quoad exercitium.

CAPVT XXXVIII.

Alteri euasioni occurritur.

Secunda responsio esse solet, Concilium quidem loquutum esse de auxilio efficaci, tamen cum dixit liberum arbitrium motum, & excitatum, posse dissentire, si velit, loquutum fuisse de potestate in sensu diuiso, non in sensu composito, ita ut sententia Concilij sit, cum illa motione Dei manere, & conservari in voluntate potestatem dissentendi, non tamen potestatem illam extendi ad componendum dissensum cum tali motione, itaque, (ut aiunt) est simul potestatis dissensus cum eodem auxilio, & ideo non de hac, sed de priori loquutum fuisse Concilium. Fundamentum proprium istorum auctorum est, quia putant doctrinam Concilij in sensu composito intellectam esse falsam. Ut autem in Concilio videantur aliquod habere fundamentum ad regulas Dialecticorum recurrunt, arguentes, quo pro, positiones Concilij non habent formam modalis compositæ, ut latè prosequitur P. Aluarez. Qui etiam addit aliam probationem, quia sensus diuisus sufficit ad intentionem Concilij: nam per illum saluatur sufficienter efficacitas gratiæ, & liberum arbitrium; primum per se patet, secundum probat, quia potestas in sensu diuiso sufficit, ut in eodem instanti in quo recipit voluntas auxilium efficacem, maneat in eo libera, & expedita facultas, quia potest non operari, si velit.

Tertio sumo aliam probationem ex eodem disp. 93. quia Concilium Tridentinum numquam dixit voluntatem à Deo motam posse resistere, sed posse dissentire, quia nimirum verbum *resistendi* aptè includit sensum compositum, quem non includit verbum *dissentendi*. Nam Verbum *resistendi* importat quandam renitentiam respectu auxilij, vel voluntatis Dei mouentis actum: verbum autem *dissentendi* illam non dicit, ergo signum est voluisse Concilium loqui in sensu diuiso, & non in composito. Quarto contra nos ad hominem obiciunt, quia nos cogimur ita explicare Concilium quoad auxilium simultaneum, nam etiam illo posito voluntas liberè operatur; ergo potest dissentire, si velit: non potest autem in sensu composito, seu potestate simultaneo, ut per se notum est. Ergo debet exponi Concilium in sensu diuiso. Item ad hominem contra me argumentatur Ledesma, quia ego assero auxilium præueniens posse moraliter prædeterminare voluntatē, ita ut infallibiliter sequatur actio; tunc ergo non potest voluntas dissentire componendo dissensum cum tali auxilio, aliàs non esset infallibilis consecutus consensus à tali auxilio; ergo solum potest dissentire in sensu diuiso; ergo hoc satis est ad libertatem, & ac proinde ita est intelligendum Concilium. Item obicit Aluarez, quia nos dicimus esse impossibile, dissensum componi cum vocatione congrua & ideo non posse qui illam habent, dissentire in sensu composito, sed tantum in diuiso.

Aluarez.

Assensio auctoris de potestate simultatis

Nihilominus assero negari non posse quin Concilium in sensu composito loquatur de potestate simultatis, ita ut non obitante motione illa antecedente, de qua loquitur Concilium, nomine *vocationis*, & *inspirations* in potestate voluntatis sit, illa motione perseverante, & actu intelligente, consentire,

sed illam à se abiciere. Hanc sententiam ex patribus Dominicanis tenuit Ioannes Vincentius supra citatus, & ex his qui eos in sententia de prædeterminatione sequuntur, Cabrera 3. p. q. 18. disp. 2. §. 3. n. 313. & sequentibus Eandem insinuat Vega lib. 4. in præf. Trident. cap. 2. in fine, & Soto lib. 1. de Natur. & Grat. cap. 16. Probatur primò, quia Concilium loquitur de potestate ad dissentendum, non obstante motione, quæ ad libertatem sufficit: sed illa potestas in sensu diuiso respectu talis motionis non sufficit ad libertatem; ergo. Maior certa est, nam, ut dixit Concilium docet hominem operari, & ut hoc probet, dicit, *quippe qui & illam abiciere potest*, ergo loquitur de posse per potestatem sufficientem ad vsum libertatis. Minor autem probanda est ex dictis in Prolegomeno 1. Nam Concilium loquitur de motione præueniente, quæ est suppositio antecedens vsum libertatis, talis enim est vocatio, & inspiratio, de qua loquitur, ut ipsè definit in Can. 3. vnde est ex conditionibus prærequisitis, ut homo possit supernaturaliter consentire. In dicto autem Prolegomeno ostensum est, potestatem ad non agendum posita tali antecedente suppositione, debere esse ad componendā cum illa carentiam actus, quia potestas in solo sensu diuiso ad non agendum potest omnibus requisitis ad agendum cōmuni est potestati etiam naturaliter agentibus, & non libere; ergo.

Vnde argumentor secundò, quia etiam Caluinus non negaret potestatem dissentendi in sensu diuiso, etiam si motionem necessitantem poneret. Reperio quidem in P. Aluarez, ad confirmationem argumenti, Caluinum arbitratum esse, cum auxilio efficaci non posse simul esse potentiam ad oppositum actum, nec facultatem, quæ homo possit dissentire, si velit, utique etiam in sensu diuiso; nam in hoc sensu aptè loquimur: d enim ait negasse Caluinum quod ipse affirmat. Non allegat autem ubi in Caluino hoc legerit, nec aliquem qui de Caluino hoc referat. Nec video quomodo in mentem hominis cadere potuerit auxilium efficax ita mutare naturam voluntatis, & determinare illam ad consensum, ut non maneat in illa potestas ad dissentendum, etiam si auxilium auferatur. Nec etiam est verisimile credidisse, Deum non posse desistere à motione semel data, vel etiam si desistat, non posse voluntatem velle oppositum eius, quod antea per auxilium voluerat. Imò alias docuit voluntatem dum à Deo non mouetur ad bonum; à concupiscentia necessitari ad malum, ac subinde in voluntate esse potentiam ad utrumq; in sensu diuiso. Et alibi lib. 3. contra Pighi. se excusat, dicens. *Quasi ego substantiam voluntatis redigi in nihilum oportere, vel docuerim, vel somniauerim.* Frustrā ergo ad faciendam vim definitionis Concilij imponitur Caluino, quod negauerit potestatem dissentendi in sensu diuiso, cum hæc nihil aliud sit, quam potestas habendi contrarium actum, si motio auferatur.

Præterea quanuis nos asseramus, Deum posse necessitare voluntatē, nihilominus fatebimur quod postea motione necessitante adhuc potest voluntas non operari in sensu diuiso; tum quia carere potest motione, & illa ablata, carere operatione, & habere contrariam: tum quia per illam motionem, etiam necessitantem non destruitur, nec in se mutatur voluntas; ergo sub illa motione retinet potestatem ad oppositum, si talis motio auferatur. Ergo iuxta illam interpretationem omnino inutilis redditur definitio contra Caluinum, & insufficientis ad veram libertatem stabilendam. Confirmatur, quia beatus necessariò amat Deum, & tamen in sensu diuiso potest non amare; ergo per illam potestatem non saluatur libertas præsens actus. Quo exemplo pressius Aluarez dicta dispositione 92. numerum 12. dicit, amorem beati esse

esse simpliciter necessarium, & non necessitate tantum suppositionis. Vnde (inquit) non solum non habet actum contrarium dilectioni, sed nec poterit illum habere. quia propositio iuxta Dialecticam illius auctoris, facit sensum diuisum, at in illo sensu falsa est propositio: nam qui est beatus, potest in sensu diuiso non amare Deum, si visione Dei careat. Vnde falsum etiam est, necessitatem amoris in patria non esse suppositionis, etiam si sit necessitas ex suppositione antecedente simpliciter, id est, libertatem excludens, ut in Prolegomeno primo & supra in hoc libro declarauimus. Et ideo cum necessitate simpliciter subsistit potestas ad oppositum in sensu diuiso. Et ita frustratur intentio Concilij, si de illa sola potestate verba eius interpretemur.

Tertio hoc ipsum explicatur in hunc modum, quia si vera est sententia de necessitate physica predeterminationis, tali auxilio posito in voluntate, potentia, quae relinquitur in voluntate ad dissentiendum in sensu diuiso, non est potentia proxima, sed remota, & proxime est potentia passiva, & non actiua ad contrarium actum, vel ad suspensionem actus, ad quem voluntas est praedeterminata; ergo non est potestas ad libertatem sufficiens, nec est illa de qua Concilium loquitur. Maior declaratur, & probatur, quia stante illa motione voluntas sic affecta non potest immediate prodire in dissentium, nec ex interno dominio suspendere actum, alias posset simul componere carentiam consensus cum illa praemotione, quod repugnat praemotio, ut ipse dicitur, necessarium ergo est, ut prius auferatur motio, ut sic possit in voluntate esse dissensus, seu carentia consensus. Ergo posita motione potentia ad dissentium solum est remota: potentiam enim remotam respectu alicuius actus illam vocamus, quae non potest immediate in illum reduci, nisi prius aliqua dispositio in illa mutetur. Ethinc facile intelligitur, & probatur minor, quia priusquam voluntas sic praemota sit capax dissensus, oportet, ut illa praemotio cesset, & auferatur; hoc autem non est in potestate actiuae voluntatis, sed tantum passivae. Quod probatur, quia impressio talis motionis a solo Deo fit, in voluntate hominis passivae se habent, ut in principis illius sententiae supra probatum est; ergo si voluntas fieri non pendet illud auxilium a nostra voluntate, nisi passivae, ita neque in conferuari; ergo sicut voluntas antequam illud reciperet, tantum erat in potentia passiva ad recipiendum illud auxilium, ita postquam illud recipit, tantum manet in potentia passiva ad carentium illo.

Et confirmatur, quia effectiue solum pendet illud auxilium a voluntate, & potentia Dei, & non a voluntate hominis. Confirmatur praeterea, quia nihil potest voluntas hominis efficere, ut a se illam praemotionem expellat, quia, (ut defensores eius dicunt,) non subiicitur voluntati, sed illam sibi subiicit, vestatim ac illi imprimatur, consentiat; ergo posita illa praemotione, non potest aliquid facere voluntas; quo tollatur. Declaratur in habere charitatis; nam in via postquam homo habet habitum charitatis, potest homo aliquid facere, quo illum a se expellat, quia per illum non necessitatur ad actum amoris, etiam in sensu composito; at vero in patria non potest habitum illum a se actiue expellere; quia ibi habitus non separatur a suo actu, cum quo impossibilis est actus contrarius habitui; manet tamen homo in potentia passiva ad carentium tali habitu, & media tali carentia iam poterit actum contrarium efficere. Sic ergo cum auxilium praedeterminans tale sit, ut repugnet esse sine consensu actuali, eo ipso quod imprimatur voluntati; non potest vo-

luntas aliquid agere, quo aliud auxilium a se expellat; ergo solum mouet in potentia passiva ad carentium illo, ac subinde neque ad carentium consensu.

Ex quo tandem probatur prima consequentia in argumento facta, quod talis potestas ad libertatem non sufficiat, quia libertas non est in potentia passiva, ut passiva est, sed ut est actiua; & ideo usus libertatis agendo debet inchoari, ut in Prolegomeno ostensum est. Sed postquam homo recipit talem motionem, non est in potestate hominis carere illa, quia solum est ad hoc in potentia passiva, ergo quandiu Deus ex se non auferit illam motionem, non est in potestate libera voluntatis dissentiri illi motioni; ergo illa potestas in sensu diuiso non sufficit ad liberum usum; ergo non loquitur de illa Concilium.

Vnde quartum argumentum ex verbis Concilij, nam in cap. 6. *Tangente Deo cor hominis per Spiritum sanctum illuminationem*. hominem illam libere recipere, quarto. quippe qui illam abicere potest; tribus enim modis possumus verbum *abiciendi* interpretari; primo, ut idem sit, quod non admittere talem motionem, seu impedimentum quasi praueiens apponere, ne imprimatur. Et hic sensus non habet locum tum quia hoc non est in potestate voluntatis, ut supra late ostensum est; tum quia Concilium euidenter loquitur de inspiratione iam in homine recepta, de qua dicit, non inferre necessitatem, quia homo potest illam abicere. Et proprietates verbi *abiciendi* idem requirit, ut per se constat. Secundum ergo *abiciere* idem significare potest, quod illam motionem a se pellere. Tertio, ut sit idem: quod illi non consentire, etiam si insit. Et hic posterior est reuera sensus Concilij; tum quia id satis est ad libertatem consensus: tum quia in Can. 4. haec verba explicantur per illa, *posse dissentire si velit*. Tamen licet secundus sensus admittatur, non potest ad auxilium praedeterminans applicari, ut ex paulo antea dictis manifestum est; nam verbum *abiciere* non significat solum potentiam passivam carenti tali motione. Quis enim dicat hominem videntem Deum posse abicere lumen gloriae solum, quia potest illo priuari a Deo? Verbum ergo *abiciendi* actiuum est, & requirit potestatem actiuam pellendi a fetalem motionem, hanc autem non habet voluntas, ut explicauimus.

Dices, etiam hoc modo non potest voluntas abicere inspirationem, quia est actus necessarius, & a Deo solo hic liber. Respondeo primo, esto ita sit, non referre, quia, ut dixi, Concilium non loquitur de hoc modo abiciendi. Secundo dico esse dissimilem rationem; nam voluntas aliquo modo potest a se abicere inspirationem, quia, illa non obstat, potest velle aliquid illi repugnans; & consequenter potest velle applicare intellectum ad alia obiecta creata; & ita mentem a sancta illa cogitatione auertere, utique ponendo illi impedimentum. At praedeterminatio non permittit hoc voluntati, quia inevitabiliter facit illam adherere consensui, & ita non permittit illi habere actum consensui contrarium, nec velle aliquid quo illi praedeterminationi impedimentum ponat. Praeterquam quod iuxta illam sententiam, voluntas non potest se, vel intellectum ad aliud applicare, nisi per aliam motionem ad id praedeterminetur, & tunc ipse Deus auferit vnam praemotionem, ut aliam imprimat, voluntas autem nunquam potest a se abicere praedeterminationem. Vnde non video quomodo in eius sententia verum esse possit quod Ledesma supra dicit, voluntatem suis viribus posse abicere motionem Dei praedeterminantem, quid enim faciet, ut eam a se abiciat, cum eam nec facere, nec impedire possit.

Nec

Nec etiam potest illam abicere in alio sensu, quod probatur primò, quia non potest illam abicere cum est ex aliorum sententia, quia hoc includit sensum compositum: sic enim homo abiicit inspirationem, quando illa stante & durante illi dissentit: non sic autem potest abicere prædeterminationem, quia dum est impossibile, est non habere consensum. Nec etiam potest illam abicere postquam ablata est, quia nemo abiicit à se quod non habet, quis enim dicat hominem abicere vestes, quibus ab alio spoliatus est. Vnde attentè est ponderanda in verbis Concilij particula *illam*, nam euidenter facit sensum compositum, tunc enim quis abiicit motionem hoc modo, quando illi sua voluntate se opponit, & facit, vt effectus careat, quod non fit nisi stante motione. Nam si motio cessat, etiam si homo quippiam aliud operetur, iam non se opponit motioni, nec illam suo effectu priuat, cum iam non sit; ergo non abiicit illam, nemo enim abiicit quod non habet. Vnde & Aristot. 4. Metaph. cap. 5. tex. 22. *Abiciens, (ait,) habet aliquid eius quod abiicit*, ubi idem dicit D. Thomas lect. 13.

Aristot.

10.
Accedit ita-
tio.

Accedit quòd iuxta illam sententiam allata præmotione cessat consensus, quia impossibile est habere illum sine prædeterminatione; ergo tunc homo non abiicit motionem Dei per carentiam consensus, sed dum à Deo ipso priuatur promotione, priuatur consensu: vt autem voluntas contraria subornatur, alia etiam prædeterminatio contraria necessaria est, quam Deus pro sua sola libertate præbet; ergo nec tum homo abiicit à se priorem præmotionem per talem voluntatem, quia iam præmotio illa cessauerat, & altera successit, cui potius tribuenda est expulsio quasi formalis alterius motionis, quam volitionis, quæ ex illa secunda præmotione inuitabiliter sequitur. Ergo illa verba Concilij, *Quippe qui & illam abicere potest*, & intrinsecè includunt sensum compositum, tam ratione verbi *abdicere*, quam ratione relatiui *illam*, & nullo modo possunt cum proprietate, & varietate ad prædeterminantem motionem applicari. Idemque est de illis, *Potest dissentire si velit*, primò ratione verbi *dissentendi*, quod non verificatur nisi respectu motionis, & inspirationis actu mouentis; sicut dicitur quis dissentire tentationi, quando illa vrgetur, non verò postea quando iam cessauit. Item quia magis dissentire, quam non consentire alicui, sed posse non consentire includit compositionem cum alterius petitione, aut suasionem; ergo eandem multo magis inuoluit verbum *dissentendi*. Item quia consentire gratiæ, vel tentationi est coniungere proprium velle eidem gratiæ, vel tentationi; ergo & dissentire est coniungere nolle cū illa gratia, cui homo dissentit. Nec refert quod in Can. 4. non addatur relatiuum *illi*, subintelligendum enim est ex mente Concilij in capite quinto explicata, & addito illo relatiuo multo certius est, neminem dici dissentire vocationi, nisi quando illam in se sentit, & habet, sicut nec dissentit tentationi, nisi quando illa vrgetur.

11.
Responsio
Aluarez

Ad hanc instantiam virtute respondet Aluarez dicta disp. 42. num. 15. obiicit enim sibi, quia hæc propositio est falsa, *Nemo potest resistere auxilio efficaci*, quod probat, quia hæc propositio est impossibilis, *Nemo resistit auxilio efficaci*, quia vt sit vera, oportet vt cum auxilio efficaci simul sit resistentia, & dissensus, quod est impossibile. Respondet verò vtramque propositionem tam de possibili, quam de in esse veram esse: quia licet non possunt esse simul auxilium efficax, & actualis resistentia, nihilominus homo resistere potest auxilio efficaci, non actu dato, sed oblato, quia potest illi obicem ponere, cum offertur per gratiam sufficientem. Sed hæc

responsio repugnat propriæ doctrinæ illius auctoris, & ferè aliorum, qui illam sententiam sequuntur, quia si auxilium efficax est prædeterminans, non pendet ex dispositione hominis negatiua politia, vt supra probatum est, vnde non potest illi obicem ponere, nec in tali auxilio dilinguuntur dari, & offerri, quia si non datur, nec offertur, cum nihil possit homo facere, vt detur. Deinde non satisfacit, quia Concilium loquitur non de auxilio oblato, sed dato; sic enim ait, *Si quis dixerit hominis liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum. Vnde tandem cogitur dictus auctor admittere hanc propositionem, Homo à Deo efficaciter motus, potest dissentire auxilio efficaci*, reuertitur autem ad sensum diuinum, qui ergo simpliciter dicit hominem ligatum catenis posse fugere, si velit, profectò dicit, non obstantibus catenis posse simul fugere, aut posse catenas soluere, & ita fugere si velit. Sic ergo Concilium dicens, *potest dissentire, si velit*, aperte dicit non obstante tali vocatione in hominem recepta, posse hominem, si velit, aut motionem ipsam pellere, & ita dissentire, vel quod est certius, & simplicius, non obstante motione in hominem existente, posse hominem velle non operari secundum illam. Et confirmatur, quia potentia in sensu diuino quando vnus actus supponitur, non est potentia ad tempus præsens, sed ad futurum, nam cum dicitur aqua frigida potest esse calida, non est id verum, nisi pro tempore futuro: quando autem Concilium dicit liberum arbitrium, & excitatum posse dissentire, profectò intelligit pro eodem tempore, quo mouetur, posse statim dissentire. Et hic est paupus sensus Concilij, omnisque alius sensus est profectò valde violentus, & futilem, ac inane reddidit Concilij doctrinam. Quis enim vnquam dicit voluntatem ita necessitari per gratiam, vt neque in sensu diuino possit tali actu carere; si morte gratiæ tollatur, profectò neque stolidissimi hæretici hoc dixerunt; quid ergo oportebat Concilium nos docere potestatem in sensu diuino? aut quid hoc contra hæreticos proficiebat?

Sextò addo ex prædictis verbis colligi, Concilium non loqui de aliqua motione, quam homo non sentiat prius, vel tempore vel natura, quam consentiret, ac subinde non loqui de auxilio efficaci, quod nec vitale sit, nec in homine fiat ipso non cooperante vitaliter, sed vt ita rem explicem, loqui de auxilio, quod in homine fiat, ipso sentiente: ergo non loquitur de auxilio, quod detur per modum concursus prauij, qui ab ipso percipi non possunt. Hoc colligo ex vi verbi *dissentendi*, & *consequendi*, nam relationem, & coniunctionem dicunt ad aliquid, quod prius animaduersum, & sensu quodam spiritali perceptum est. Et hoc significauit Concilium dicens, *Tangent Deo cor hominis*, nam ille rationi sentiri debet, vt moueat, sicut in illo, *Ego sto ad os, & pulso*, pulsus ille vitalis, & perceptibilis ab homine esse debet, vt homo possit aperire, vel tempore. Et ideo addidit Concilium, *per Spiritum sanctum*, idemque relationem, vel inspirationem, quia hæc sunt motiones perceptibiles ab homine. At Concilium loquitur de motione

ione efficaci, vt probauimus, & dicit hominem posse illi dissentire, & supponit auxilium efficax tale esse, vt faciat se percipi, & respectu illius dicit habere locum tam dissensum, quam consensum; ergo sicut in consensu hoc non patet esse verum, nisi respectu auxilij, quod actu existit, & percipitur, ita neque in dissensu, quia etiam concludit habitudinem ad motionem existentem, & ab homine perceptibilem, seu perceptam, licet diuerso modo: nam consensus dicitur habitu dñe conformitatis, dissensus disformitatis. At verò respectu motionis impressæ homini sine sensu hominis, non est propriè consensus, quia illa motio non sentitur, sicut homo non consentit habitui, quando per illam operatur, sed consentit inspirationi, quam habuit, multoque minus respectu talis motionis habet locum dissensus, quia consensus licet hanc denominationem recipiat respectu inspirationis, saltè potest esse simul cum prædeterminatione, (si detur,) & aliquo modo illi confirmatur, saltem vt actio suo principio; actus verò contrarius non potest esse simul cum prædeterminatione, (si detur,) vnde nec potest haberi repugnando illi, sed repugnando inspirationi; ergo auxilium illud cui homo potest dissentire, si velit, non est prædeterminatio, sed inspiratio; ergo & gratia efficax non est prædeterminatio, sed inspiratio.

Septimò considero quòd licet Concilium loquatur de auxilio efficaci, non tamen de illo solo sed de sufficienti, id est de vocatione, & inspiratione necessaria quæ aliquibus est efficax, & in aliis inefficax. Hoc videtur admitti ab omnibus Auctoribus citatis, non enim dicunt Concilium loqui de solo auxilio efficaci, sed loqui etiam de illo. Item, quia Concilium tradit doctrinam generalem de necessitate gratiæ, cum qua, & libere consentit, & libere etiam dissentit; loquitur ergo de auxilio iam efficaci, quam sufficiente. Hinc ergo nouum argumentum sumo: nam Concilium dicens posse hominem abdicere inspirationem, seu posse illi dissentire, si velit, abstractè loquitur de inspiratione tã sufficiente, quam efficaci, sed respectu sufficientis verbum potest accipi in sensu composito, vt Aluarez fateatur dicta disput. 92. num. 8. ergo etiam respectu efficaci. Probatur consequentia, quia idem verbum in eadem simplici propositione vniuersim accipiendum est, & non equiuocè respectu diuersorum ad enim non congruit, præsertim in doctrina fidei tradenda, ac definienda. Tum etiam, quia Concilium dicens liberum arbitrium aliquid agere, inspirationem illam recipiens, quippe illam abdicere potest, per relationem illam refert eandem omnino entitatem diuinæ inspirationis, quatenus habet virtutem mouendi, & inducendi arbitrium in consensum & respectu illius dici voluntatem posse dissentire, etiam si interdum non dissentit; ergo semper facit sensum compositum respectu talis auxilij secundum se spectati, solum vt præueniens, ac necessarium est: ergo siue in re tale auxilium sit efficax, siue inefficax semper potestas resistendi illi est in sensu composito, quamuis non semper resistentia in actum redigatur. Et augetur vis huius rationis, quia ex mente Concilij eadem inspiratio eiusdem omnino entitatis, & virtutis, quem nostra voluntas aliquid agendo, libere acceptat, potest ex eadem libertate voluntatis frustrari effectum. Ergo secundum entitatem suam eadem inspiratio præueniens est, quæ interdum est efficax, interdum sufficiens, ergo etiam quando dicit Concilium, posse voluntatem dissentire, si velit, eandem potestatem tribuit voluntati respectu virtutis, auxilij, vt præueniens est, etiam si non semper æqualem effectum habeat; ergo si illa potestas est in sensu composito respectu auxilij efficaci. Quæ ratio in dicendis infra in questione de operantibus inæqualiter, cum aliquo auxilio præueniente euidentior fiet.

Quandò ita ex dictis argumentis, quia dicere posse dissentire vocationi, & addere, in sensu diuiso inuoluit repugnantiam, nam per hoc secundum destruitur primum. Patet, quia eo ipso, quòd sensus diuissus postulat, requiritur, vt tollatur motio vt potestas dissentendi in actum reduci valeat, at tunc illa cessat, vel opposita voluntas, non est dissensus, vt probauimus; ergo potestas illo modo in sensu diuiso, non est ad dissentiendum, sed ad non volendum, ad aliud volendum absq; dissensu ad gratiam quæ iam non mouet. Vnde confirmatur, nam actu dissentire gratiæ vocanti, est cum illa actu instigante componere dissensum; ergo posse dissentire eidem gratiæ, est posse cum illa componere dissensum. Nec per hoc fit transitus à sensu diuiso ad compositum, vt Aluarez dicit, & non probat, sed explicatur obiectum, & actus illius potentie, qui cum in se, & ex propriis rationibus extremorum compositione inuoluatur, non potest attribui alicui facultati ob potestatem in sensu diuiso, sed in composito, alias non erit potentia ad talem actum.

Et confirmatur, ac declaratur, nam dissensus de quo loquitur Concilium, debet esse contrarius consensui, de quo idem Concilium loquitur; sed rur, ac de consensu non est possibilis nisi componendo actum consentiendi, cum motione gratiæ, quia cum sit consensus supernaturalis, non potest esse nisi cum motione gratiæ, ergo etiam dissensus includit compositionem cum eadem motione gratiæ. Patet consequentia, quia contraria quatenus opposita sunt debent versari circa idem simile, & dissimile, nam respectu diuersorum non erunt opposita, & ita est in proposito, nam dissensus, & consensus dicuntur quasi relativi ad gratiæ sensum, vt supra dicebam, non sumeretur autem respectu eiusdem, nisi eandem motionem supponerent in voluntate, & cum illa vterq; componeretur. Vnde si quis petenti, num velit dare, diceretur consentire petitioni, & si stante eadem petitione noluit dare, erit simplex nolitio, non tamen erit dissensus, quia non dicitur habitudinem oppositam eidem termino; ergo si detur motio gratiæ, cum qua coniungi non possit carentia actus, ad quem mouet, neque volitio illi opposita respectu talis motionis impossibilis est dissensus. Ergo in nullo sensu verum esse potest, quòd homo possit illi motioni dissentire, si velit, quia ad impossibile nulla est potentia.

CAPVT XXXIX.

Ad fundamenta contrarie interpretationis respondetur.

Tandem refutamus dictam euasione, & interpretationem de sensu diuiso, expendendo fundamenta, in quibus nititur, simulq; ostendendo, dicta euasione quam sit ille sensus alienus à communi more loquendi, non tantum in vulgari vsu hominum, sed ratio de sensu etiam in Scriptura, & in ipso Concilio. Et quidem su diuiso. primum fundamentum Dialecticum dignum profecto non erat, vt in tam graui puncto, & materia adduceretur, vt quia verbum potest inter extrema propositioni positum est, sensus diuissus, & non compositus. Igitur quia Paulus dixit, *Sine fide impossibile est placere Deo*, non erit id verum in sensu composito, sed in diuiso, quod aperte falsum est, nam illa duo componere, carere fide, & placere Deo, impossibile est: in sensu autem diuiso homo carens fide potest placere Deo. Item Esther. 13. *Non est qui possit resistere voluntati tue*, quod est verum in sensu